

• S • G • B • T • B •



• T • G • G • T •



z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.



44  
COLLEGII TERTII  
In Augustanam Confessionem

DISPUTATIO XI.

continens

ANTIΘΕΣΙΝ ARTICVLI VI.

*Quâ*

Sententia Pontificiorum  
de merito bonorum operum, ut

illa à Martino Becano tract. 4. cap. 5. pro-  
posita est, refutatur,

*Proposita*

In Electorali Academia VVittebergensi

P R Æ S I D E

JACOBO MARTINI S.S. Th.

Doct. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito,

R E S P O N D E N T E

M. JOHANNÉ ULE Annæbergensi Misnico.

*In Auditorio Collegii Veteris*

*Ad diem 30. Maij.*

---

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AUERBACH, Acad. Typogr.

ANNO M DC XXX.

COLLEGIUM  
In Augustiniani Confessionem  
DISPUTATIO  
CONTINENS  
ARTICULOS ARITHMETICIS VII

Sententia Pontificiorum  
de merito bonorum operum, ut  
illa a Martino Beccotto tract. 4. cap. 7. pro  
posita est, retineatur.

In Electorali Academia Vitebergensi  
P R A E S I D E  
JACOBO MARTINI S. S. Th.

Dof. & Prof. Publ. Primario Facult. Theol.  
M. JOHANNES LIE ANNEBERGENSIS MILENIO.  
RESPONDENTE

WITTEBERGAE  
Typis Heredum SALOMONIS ABERBACH, Acad. Typogr.  
ANNO M DC LXXI.





D. O. M. A.

*Continuatio.*



Actenus ergo nostram de merito bonorum operum orthodoxam sententiam proposuit Becanus, illamque suis nugis & sophismatibus non tantum obscurare, sed planè subvertere satagit: sed (Deo sint grates) nihil quicquam obtinuit; verum potius ansam porrexit demonstrandi, quod adversus solidam hanc ac immotam veritatem ne portæ quidem inferorum valeant: Pergit nunc, & capite s. quæ de hoc puncto Catholicorum, hoc est, Papanorum, sit sententia, quomodoque ab ipsis propugnatur, decem quæstionibus ostendit. De quibus hac disputatione.

*THESES.*

I. Ante illarum autem tractationem, meriti distinctionem præmittit s. i. Theologi distinguunt, inquit, duplex meritum: alterum de condigno, alterum de congruo. Meritum de condigno vocant, cui ex condigno, seu ex justitiâ debetur retributio seu merces. Meritum de congruo, quod quidem ex justitiâ non meretur compensationem, sed tamen ex quadam congruentiâ seu honestate. Hoc posterius propriè non habet rationem meriti. De priori, quod propriè meritum est, deinceps agendum.

II. Meritum ergo de congruo admodum sterile est ac desertum, adeo ut à multis etiam Pontificijs improbetur. Et Becanus quæst. 10. hujus cap. s. necesse non esse existimat, ut de

cō disputeretur, de quō nihil certi affirmari queat, secutus haud dubie suum antesignanum Bellarminum, qui prior id indignū judicavit, in quō stylū suum exerceret. Nos de distinctione horum meritorum egimus disputatione quartā hujus Collegij, th. 42. & refutavimus, rejecimusque omne meritum thes. 43. & seqq.

III. Quæstio autem generalis ac principalis hîc est, *utrum sibi quisque fidelis mereatur ex condigno apud Deum?* Papistæ affirmant, nos negamus. Becanus eam hoc loco deducit plenius: Nam distinctè examinat: Primū *quæ conditiones requirantur, ut aliquod opus sit meritorium:* secundò, *an homo possit mereri primam gratiam actualem seu excitantem:* Tertiò, *an primam gratiam habitualem seu justificantem:* quartò, *an augmentum gratiæ justificantis:* quintò, *an reparationem post lapsum:* sextò, *an auxilia gratiæ actualis, quæ necessaria sunt ad rectè vivendum:* septimò, *an donum perseverantiæ:* octavò, *an vitam æternam:* nonò, *an bona temporalia:* decimò, *an unus possit alteri mereri.*

IV. Verū non existimamus esse necessarium, ut omnes sigillatim percurramus. Nam primam, secundam, tertiam, quintam & decimam ille adversum nos directè non instituit. Et sanè primam otiosè instituisset. Cū enim non Entis neque qualitates neque proprietates sunt; utique meritum qui funditus tollunt, quomodo de ejus conditionibus erunt solliciti? Quæstio ergo hæc nihil ad nos.

V. Idem de secundâ, tertiâ, quintâ & decimâ. Quia enim omne meritum negamus, quomodo concedemus, posse aliquē mereri, vel primam gratiam sive excitantem sive justificantem, vel reparationem post lapsum, vel alteri aliquod præmium apud Deum? Hæc ergo quia Becanus quoq; statuit, neminem mereri posse, nullam nobis, idem negantibus, dicam scribit.

VI. Quarta quæstio, item sexta, septima, octava & nona nobis oppositæ sunt. De quartâ ergo hæc Pontificiorum est sententia, *hominem justum per bona opera, & observationem mandatorum Dei mereri augmentum gratiæ & justitiæ de condigno.* Quam verò nos, ut falsam, damnamus ac rejecimus.

VII. Probat Pontificiorum opinionem Becanus; primum dictis scripturæ: deinde ratione. Scripturæ testimonia sunt: Eccles. 18. v. 22. *Ne verearis usque ad mortem justificari, id est, (ad- dit Jesuita) per bona opera in justitiâ crescere.* Et Apocal. 22. v. 11. *Qui justus est, justificetur adhuc.* Et Jacobi 2. v. 24. *Videtur, quoniam ex operibus justificatur homo.*

VIII. Respondimus ad dictum Ecclesiastici supra Colleg. 2. disputatione solenni ultima, th. 34. 35. 36. loqui illud non de justificationis auctione, sed innovatione, idque multis declaravimus & probavimus. Neque v. 11. cap. 22. Apocalypses loquitur de justificationis augmento, sed continuatione, vide disput. 3. Colleg. 2. th. 52. 53. Jacobus etiam non agit de ipsa justificatione, sed justificationis declaratione: Illam verò fieri per bona opera non negamus. Vide Colleg. 2. disput. solennem ultimam, th. 37. & 38. Item th. 55. & seqq.

IX. Ratio Becani hæc est: *Quia homo justus per bona opera meretur augmentum gloriæ, ut supra contra Calvinistas est probatum: Ergo etiam augmentum gratiæ. Nam gratia secundum gradus debet esse proportionata gloriæ. Est enim quasi semen gloriæ, & præbet jus ad gloriæ: jus autem ad gloriæ debet esse gloriæ proportionatum.*

X. Respondemus negando antecedens: non enim meremur per bona opera augmentum gloriæ; neque id unquam à Becano est probatum vel demonstratum. Opera quidem bona compensabuntur in vitâ æternâ gloriæ quodam augmento, non autem ex merito, sed ex gratuita promissione divinâ. Omnino etiam gratia debet esse proportionata gloriæ: sed quæ in operibus fundatur, proportionata non est: Quia opera nostra nullam habent proportionem ad gloriæ æternam, ut demonstratum. Sic gratia vera, quæ in applicatione meriti & justitiæ Christi consistit, dici potest semen gloriæ, & quod jus præbeat ad gloriæ, quodque gloriæ sit proportionata. De operibus verò bonis id simpliciter est negandum.

XII. Quinta, ut diximus, quæstio contra nos non dirigitur. Tantum ultima verba, quibus hujus tractationem concludit, notentur. Dicit autem: *Justificationem includere duas partes:*

*Infusionem gratia justificantis, & remissionem peccatorum. Ubi postero-*  
*riorem quidem concedimus: Illam contra priorem negamus in*  
*praecedentibus: à se autem, ut gloriatur, probatam esse cap. 2. &*  
*3. Verba sunt. Contrarium intelligitur ex oppositis nostris di-*  
*sputationibus.*

XII. Sexta quaestio est: *An possimus mereri auxilia gratiae a-*  
*ctualis. Respondet Becanus: Certum est, hominem in statu peccati exi-*  
*stentem, non posse de condigno mereri auxilia gratiae actualis, quibus ad sta-*  
*tum gratiae perveniat, quia meritum de condigno requirit, ut homo sit in*  
*statu gratiae: Est ergo quaestio, an homo justus, qui jam est in statu gratiae,*  
*possit de condigno mereri auxilia gratiae actualis, quae ipsi necessaria sunt ad*  
*cavendum peccatū mortale, & ad perseverandum in statu gratiae. Et tan-*  
*dem respondet, & concludit Jesuita: Omnia illa cadunt sub meritū*  
*de condigno, quae homini justo post acceptam primam gratiam necessaria*  
*sunt ad vitam aeternam consequendam: At ejusmodi sunt auxilia gratiae a-*  
*ctualis: Ergo haec auxilia cadunt sub meritum de condigno.*

XIII. Major est hypothesis Jesuitica, quam ut non Spi-  
ritus sanctus, sic neque nos concedimus. Non ergo nudè pro-  
poni, sed probari debebat. Addit duplicem probationem; sed  
duplicem petitionem principij. Et confirmatur, inquit, primò ab  
opposito: *Quia si justus non posset mereri auxilia gratiae, quae ipsi necessaria*  
*sunt ad consecutionem vitae aeternae; jam nec ipsam consecutionem vitae eter-*  
*nae mereri posset: quod est absurdum. Est, ut dixi, petitio principij: Pro-*  
*betur, id absurdum esse: Imò contrarium est absurdissimum, &*  
*in scripturâ inauditum. Ejusdem farinae est altera ratio: Secundò,*  
*inquit Becanus, quia meritum, quod est sufficiens ad id obtinendum, quod*  
*prestantius est, est etiam sufficiens ad obtinendum id, quod minus prestans*  
*est: At vita aeterna est prestantior, quàm auxilia gratiae actualis: Ergo si il-*  
*lam mereri possumus, etiam haec possumus. Rursus petitio principij.*  
*Nam vitam aeternam nequaquam mereri vaitemus, quippè quae*  
*solâ morte Christi nobis parata & parta est.*

XIV. Septima quaestio est; *An possimus mereri donum perse-*  
*verantiae. Duo circa hanc quaestionem concludit Becanus: 1. Ho-*  
*minem justum non posse uno aliquo actu de condigno mereri, ut vel continè*  
*perseveret in statu gratiae, vel certè si excidat, ut vitam finiat in statu gratiae.*

2. Ho-



Hominem justum posse variis actibus de condigno mereri varia auxilia gratia actualis, quibus continuè perseverare possit in gratiâ, si velit, usq; ad finem vitæ, non tamen posse de condigno mereri auxilia congrua, quibus de facto infallibiliter perseveret.

XV. Primum contra nos non est. Si enim nihil propriè merenter homines; ut demonstravimus; neque hoc perseverantiæ donum merebuntur. Posterius nobis opponitur, sed non confirmatur: Quocirca eadem à nobis facilitate rejicitur, quâ adducitur & afferitur. Si enim omnia ad vitam æternam conducentia æquè ac æterna salus, nobis ex merâ gratiâ à Deo dantur gratis, nihil merebimur: Ubi enim omnia gratis dantur, ibi meritum locum habet nullum.

XVI. In fine hujus quæstionis duplicem Becanus facit promissionem: Unam, quâ mercedem paciscitur; alteram, quâ liberaliter se obstringit: Sicut alia est promissio, quâ vir dives laboranti in vineâ promittit stipendium diurnum: alia, quâ petenti pauperi promittit Eleemosynam.

XVII. Ita promissionem distingui posse, est extra controversiam: verùm Deum homini post lapsum peccatori promittere pro impletione & obedientiâ legi debitâ, vitam æternam, tanquam mercedem, falsissimum est. Primum enim id nullo scripturæ fundamento potest probari. Deinde homini perfectè servare legem, simpliciter est impossibile, ut sæpius demonstratum est.

XVIII. Quæstio octava est: an possimus mereri vitam æternam. Respondet Becanus: *Supra contra Calvinistas satis perspicuè ostendi, justum posse de condigno mereri vitam æternam per bona opera, ideoque vitam æternam in scripturis vocari mercedem & coronam iustitiæ.*

XIX. Principale ergo fundamentum Becani est, quod vita æterna in sacris dicatur merces, cujus correlatum est meritum. Quare (ut argumentatur Bellarminus) si vita æterna est merces; Ergo bona opera sine dubitatione sunt merita.

XX. Verùm ad argumentum hoc sufficienter præcedente disputatione decimâ est responsum, distinguendo inter mercedem: cum alia propriè dicatur, alia impropiè, & per similitudinem:

dinem: Quia igitur merces tantum propria habeat correlatum, meritum: non ira merces impropria: vita autem aeterna improprie sic dicatur, si dicatur; sequitur, consequentiam nullam esse, ac propterea quod merces dicatur vita aeterna, nostra opera non esse revera meritoria: sed mercedem hanc esse gratuitam, id est, absque merito. Augustinus praefatione in enarrationem Psal. 31. *Gratis constat. Nihil boni fecisti, & datur tibi remissio peccatorum. Attenduntur opera tua, & inveniuntur omnia mala. Si quod debetur, illis operibus Deus redderet, utique damnaret: stipendium enim peccati mors. Malis operibus quid debetur, nisi damnatio? Bonis quid debetur? Regnum caelorum. Tu autem in malis operibus inventus es; si reddatur tibi, quod debetur, puniendus es. Quid ergo sit? Non tibi Deus reddit debitam poenam, sed donat indebitam gratiam.*

XXI. Gregorius de Valentia argumenti nodum sibi videtur magis stringere, si argumentetur non a mercede simpliciter, sed a mercede certis descripta circumstantiis. Ideoque argumentum ita proponit: *Si qua mercede aliqua bona opera, secundum modum aliquem justitiae compensari debent, dubium non est, quin talia opera sint vere & proprie ex condigno meritoria ejus mercedis: sed bona opera justorum, quatenus ex gratia & charitate proficiuntur, debent compensari secundum aliquem justitiae modum, vitam aeternam: Ergo vere & proprie sunt meritoria ex condigno vitae aeternae. Majorem probat: Quia sic ei sit ante definitum meritum. Minorem vero his locis: Jacobi 1. v. 12. Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se. 2. ad Tim. 4. v. 8. In reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus iudex, non solum autem mihi, sed & omnibus, qui diligunt adventum ejus.*

XXII. Ut recte solvatur hoc argumentum, i. teneantur distinctiones compensationis: Quod alia sit, quam pro uno reddatur aliud, ut pro afflictionibus solatium, pro labore quies, pro bono malum; aut contra: alia vero, quam propter unum reddatur aliud: ut ager propter depensum aurum. Deinde justitiae: quod alia sit constantiae, alia permutationis. Illa jubet stare promissis etiam propter solam promissionis rationem: atque tantum

tum abest, ut semper meritum præsupponat, quod non potest non conjungi cum bono promittentis, ut ipsimet Pontificij testantur in definiendo merito: ut contra etiam cum damno promittentis possit consistere, unde Psal. 15. v. 4. *Qui juravit in malum, & non mutat.* Hæc verò justitia permutationis demum infert meritum alterius partis.

XXIII. Deinde quia etiam nititur definitione ipsius Gregorij, & illa non est ignoranda. Descriptio autem sic habet: *Hæc verò meritum accipimus in bonam partem, potest autem illud generatim ita describi: meritum est opus liberum, bonum, ad alterum aliquâ ratione spectans, quod proinde secundum aliquem modum equalitatis sive justitiæ, aliquo munere ab aliquo compensari debeat.*

XXIV. Quibus ita præmissis, dicimus, argumentum Gregorij si loquatur & intelligatur de compensatione prioris, quâ pro uno tantum datur aliud: Itemque de justitiâ constantiæ. Minor quidem potest concedi: neganda verò est major. Ratio est manifesta; Nam definitio adducta est inutilis, quippè quæ generalis est, ut ipsemet fatetur, proindeque tam meritum congrui, quàm condigni complectitur: cum interim specialis esse debebat, meritum condigni describens. Non etiam quamlibet justitiâ supponit; sed illam duntaxat, quam permutationis diximus: nempe *propter opus bonum ad alterum aliquâ ratione spectans.* Verùm justitiâ constantiæ interdum opus nullum supponit. Quocirca definitione illâ major probari nequit: quæ indefinitè aliquem justitiæ modum proponit, non distinctè & determinatè hunc modum, qui est propter opus bonum.

XXV. Si verò argumentum sit intelligendum de compensatione alterâ, quâ propter unum reddatur aliud; & de justitiâ commutativâ; concedimus utique majorem, & negamus minorem: hoc est, ulla fidelium sive justificatorum esse opera, quæ hoc loco à Deo debeant compensari. Verùm de mercede non est necesse, ut, quæ in præcedente disputatione ex veris fundamentis proposita, declarata, & demonstrata sunt, repetamus: Et coronæ ratio planè est eadem. Quid? quod corona detur in

B

ludis:

Iudis: non quod opus eam mereatur, sed tantum quia sit promissa. Atque hæc satis iusta fuit causa metaphora, nempe ut eo nomine salus æterna significaretur. Nec existimes, qui *suffert tentationem, coronam accipiet*; idem esse, ac si dicas, tentatio est meritum dignum coronâ: Quandoquidem planè contrarium dicit ac docet Apostolus, Rom. 8. v. 18. *Existimo, quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam.* Quare hic erit sensus, compensatum iri tentationes coronâ illâ, sed compensationis genere priore, ut hisce tentationibus corona succedat.

XXVI. Contra hoc verò ita disputat Bellarminus: *Quod propter solam promissionem verè ac propriè debetur, nunquam id mercedis nomine appellari poterit, nisi conditio operis, & conditionis impletio intervenerit.* *Esset enim & durissima & intolerabilis catachresis, si quis donativum à Rege promissum ex merâ liberalitate, sine ullâ conditione operis, mercedem appellare vellet.*

XXVII. Respondemus, Augustinum longè aliter sentire. Dicebat enim, *merces nostra gratia vocatur: Explicabatque, gratis dari, gratis constare, quod sit, nulli operi, ac propterea nulli conditionis impletioni deberi.* Sic igitur Jesuitis hæc catachresis dura, sit intolerabilis, non multum curamus: Moveat nos Augustini, & quidem præeunte Apostolo, autoritas, pereat contra Jesuitarum petulans perversitas.

XXVIII. Adde, quod argumentum planè nihil concludat. Quandoquidem *conditio operis, impletio conditionis* nullâ necessitate supponunt meritum: cum utraque esse possit ac deur sine æqualitate: Quæ verò si nulla sit, neque meritum esse potest. Etsi omninò etiam supponatur operis conditio, tamen impletio conditionis quit abesse; uti reverà abest in operibus fidelium. Impletio enim ista longè aliud est, quàm conatus sive etiam inchoatio. Jam verò fideles etiam si contentur benè agere & inchoent, nunquam tamen, teste Paulo, perficiunt, proindeque nequaquam merentur.

XXIX. Accedit & hoc argumentum invictum, probans, vitam æternam non esse mercedem, propriè dictam: *Nul-*  
*la mer-*

la merces propriè dicta dici potest hereditas. At vita æterna dicitur hereditas: Ergo vita æterna non merces propriè dicta.

XXX. Respondet Bellarminus, vitam æternam in scripturis non minus sæpè, fortè etiam sæpius, dici mercedem, quàm hereditatem: Ergo, concludit, probari nullo modo posse, quod propriè dicatur hereditas, impropriè merces: Et non potius contra. Deinde addit, quod si utrumq; propriè dici possit. Datur enim ex promissione laborantibus, quod est mercedis: nec datur nisi filiis, quod est hereditatis.

XXXI. Primùm negamus, unquam dici vitam æternam in scripturis mercedem. Monstrent vel adducant unicum saltem locum. Non possunt. In cælis quidem mercedem nostram copiosam fore, dicit Christus, Matthæi 5. & cap. 6. mercedem nos habituros apud patrem nostrum, qui in cælis est: Verùm cælum ipsum vel vitam æternam fore nostram mercedem; nullibi dicitur in universâ scripturâ. Vitam contra æternam dici hereditatem, quis nescit à Hebr. II. v. 8. Promissionem accipiant æternæ hereditatis, qui sunt vocatî. Eph. 5. v. 5. Nullum scortatorem aut impurum habere hereditatem in regno Christi, & Dei. Ephes. I. v. 14. Qui & arrhabo hereditatis nostræ: ut sciatis, quæ opes gloriæ hereditatis ipsius in sanctis. Galat. 3. Si ex lege est hereditas, non jam ex promissione. Inde etiam fideles heredes κληρονομοι dicuntur, Rom. 8. v. 17. Si filii, etiam heredes; heredes quidem Dei, coheredes verò Christi, Ad Galat. 3. v. 29. Quod si vos estis Christi, nempe Abrahami semen estis, & secundum promissionem heredes. Ad Tit. 3. v. 7. Ut justificati illius gratiâ, heredes efficeremur, secundum spem vitæ æternæ. Jacobi 2. v. 5. Heredes regni, qui promissit iis, qui ipsum diligunt. Sic etiam usurpatur verbum κληρονομείν: Quod quidem vetus interpres vertit simpliciter possidere: sed aliquid amplius significat, nempe tanquam hereditatem, sive hereditatis jure possidere. Ut Matth. 19. v. 29. vitam æternam κληρονομήσει. Et cap. 25. v. 34. κληρονομήσατο, paratum vobis regnū, à iacto mundi fundamento. Ad Hebr. I. v. 14. τῆς μέλλοντος κληρονομείν σωτηρίας, propter eos, qui heredes erunt salutis.

XXXII. Si ergo vita æterna nunquam dicatur merces, dicatur autem hereditas; nugæ Jesuiticæ sunt, in scripturis sæpius illam dici mercedem: Et veritas certa, quod propriè hereditas, merces verò à nonnullis extra scripturam impropriè.

**XXXIII.** Quid tum tamen, si utrumq; concedamus, tam crebrum unum nomen esse, quàm alterum, aut etiam crebrius *mercedis*? Qui enim à Tertulliano didicimus, cum desunt appellationes propriae, tum *catachresticas* usurpari, inde quoque ignorare non possumus, ne perpetuum quidem usum obstare, quò minus admittenda sit catachresis: Nam necesse est, esse perpetuum, si alius desit. Si ergo non obstat perpetuus: Ergo multò minus frequens vel frequentior.

**XXXIV.** Quis autem credet alterum, sanè absurdissimè dictum, *vitam æternam, & mercedem & hereditatem dici propriè*. Alia enim est natura hereditatis, alia mercedis: Merces enim est propriè, quæ debetur præcedenti merito; impropiè interdum etiam, quæ est ex gratiâ: Hereditas verò tantum ex gratiâ. Hinc Apostolus Paulus ad Gal. 3. v. 18. *Nam si ex lege est hereditas, non jam ex promissione: Abrahamo verò per promissionem gratificatus est, nempe hereditatem.* Et ad Tit. 3. v. 7. *Vt justificati illius gratiâ heredes efficeremur.* Quia itaque diversissimæ res sunt, *merces & hereditas*, quomodo quæso utraque propriè de vitâ æternâ dicetur? Id sane non fiet sine manifestâ contradictione: Quandoquidem, vita æterna deberetur propriè præcedenti merito: Et propriè non deberetur præcedenti merito. ἀλλοτριον.

**XXXV.** Absurdè ergo colligit Bellarminus: *Non datur nisi filius: Ergo est propriè hereditas: Non datur nisi laborantibus: Ergo est propriè merces.* Quasi verò quod laborantibus datur, sit statim merces, & detur semper propter meritum: cum *donativum* esse queat ex gratiâ datum: quod satis perspicuè docet Christi parabola, *Matth. 20.* Deinde concedimus quidem, quod filiis aliquid dari queat propter merita & alias causas: verum quod propter illa datur, non est hereditas: sed si datur, præter hereditatem datur, cum hæc tantum propter filiationem.

**XXXVI.** Quæ cum ita sint, sequitur, quod utrumque nomen *& mercedis & hereditatis* de vitâ æternâ dicatur impropiè: vel saltem alterutrum: si utrumque, Nihil enim cogit, alterutrum esse proprium. Quandoquidem non infrequens est, eidem rei convenire multas ac distinctas similitudines, ac proinde

inde metaphoras. Et verò hæreditas datur filiis propriè dictis ac naturalibus: At talis filius est solus Christus: Ergo jure hæreditatis vita æterna ipsi tantum debetur: & nullis aliis. Si autem nomen utrumque sit figuratum, habemus, quod volumus; tum enim vita æterna erit merces, non tamen propterea meritis debita.

XXXVII. Sin verò alterutrum impropriè tribuatur vitæ æternæ, illud de verbo mercedis tantum verum erit. Nam à mercede propriè dictâ dicuntur mercenarii: ut ab hæreditate hæredes & filii. Jam verò fideles neque sunt neque dicuntur mercenarii: frequentissimè verò appellantur filij & hæredes: Ergo inde proprietatis hæreditatis facilius vindicatur: Et meriti mercedisque improprietas certò colligitur.

XXXVIII. Quod porrò attinet subjectas quæstiones scholasticas: 1. *Annon solum ex justitia, sed etiam ex rigore justitiæ justus possit vitam æternam mereri.* 2. *An mereatur totam vitam æternam, an solum augmentum ejus.* 3. *An præmium vitæ æternæ conferatur illi secundum rationem justitiæ commutativæ, an verò distributivæ.* Istæ, inquam, quæstiones omnes, quia ociosissimorum Scholasticorum ac Monachorum malè feriatorum sunt vanissima somnia, nihil ad nos, probataque ac demonstratâ nostra sententia, quod neque totam neque partem vitæ æternæ mereamur, per se corruunt.

XXXIX. Si enim nihil mereamur nostris operibus & nostrâ justitiâ, neque ullus homo propriâ dispositione justificatus est; sequitur, quod propter ejusmodi justificationem, (quæ non Ens est, cujus neque qualitates neque operationes) neque primam gloriam, neque augmentum gloriæ mereamur: simulque frustra quærat, an præmium vitæ æternæ conferatur justis secundum rationem justitiæ commutativæ, an verò distributivæ. Ubi enim nullum est meritum, ibi propter illud nec præmium datur: si autem hoc simpliciter non datur: Ergo neque certo modo vel ratione: Et sic neque secundum rationem justitiæ commutativæ, neque distributivæ.

XL. Nona quæstio est: An possimus mereri bona tem-

poralia. Respondet Becanus distinguendo inter duplicem considerationem bonorum temporalium; 1. in se, sine ordine ad aliquem finem. 2. quatenus utilia sunt ad vitam æternam. Priori modo consideratis bonis temporalibus, negat justum ea mereri: Posteriori affirmat: & addit rationem: quia, qui meretur finem, potest etiam mereri media, quæ conferunt ad finem.

**XLI.** Nos Lutherani contra statuimus, quod etiam hic nihil mereamur. Sic argumentamur: Quod dat benedictio Domini sine nostris laboribus etiam dormientibus, illud operibus nostris non meremur: At divitias & bona hujus mundi dat benedictio Domini, sine nostris laboribus etiam dormientibus: Ergo illa nostris operibus non meremur. Major est certa. Nam ubi aliquid tantum à benedictione est sine respectu ad opera, ibi meritum nullum habet locum. Minor probatur Psal. 127. v. 2. 3. *Vanum est vobis manè surgere, & diu excubias agendo comedere panem doloris, cum det dilectis suis somno.* Et. v. 1. *Si Dominus non ædificaverit domum, frustra defatigatur ædificans eam.* Ubi domum Spiritus sanctus vult accipi non tantum de ædificio, sed de victu, amictu, familia, opibus, commerciis, operis mechanicis, agricultura & denique omnibus, quæ ad vitæ hujus sustentationem requiruntur. Sic quoque domum ædificare, est liberos educare, familiam regere, facultates acquirere, honestè se alere: Et architecti sive ædificantes dicuntur patres & matres familiarum, servi, ancillæ, & quibuscunque aliqua pars rei domesticæ incumbit: quorum laboribus Deus benedicit, & gratia sua ac benignitate efficit, ut non sint frustanei in ipso.

**XLII.** Idem quoque probatur ex Psalmo 65. v. 9. usque ad finem, ubi recensentur beneficia æconomica, & quidem statim v. 9. illa, quæ Deus in agris & hortis nobis exhibet, nominat benignam & paternam visitationem, qua ille intuetur inopiam nostram quoad victum, amictum & panem quotidianum. Sic enim ait psaltes: *Visitasti terram & irrigasti eam, copiosè ditasti eam, rivus Dei plenus est aquis, parabis frumentum eorum, quia sic parasti eam.* En hæc tota fertilitas terræ, & quicquid ex ea nobis provenit boni, Deo



Deo adscribitur. Nam principio terra divinitus irrigatur, ut semen in terrâ coniectum radices agere, & germinare queat. Deinde divina gratia ac providentia semen fecundum reddit, ut unum granum multa generet, atque suo tempore copiosum fructum proferat. Tertio eodem efficitur, ne defint rivi & flumina & naturalis terræ humor, quo granum, cessantibus supernè pluviis, infernè humectentur. Hi κατ' ἐξοχήν rivi vocantur: quod Deus illos singulari sua providentia procuret, conserveat, augeat, continuet, ne unquam deficient. Tandem postquam granum in culmos & aristas excrevit, Deus solus omnipotenti manu, sine nostro labore, cura vel industria frumentum mirabili planè artificio in folliculis paratidque omne in hominis usum & sustentationem.

XLIII. Ne autem adhuc aliquis hæc vel fertilitati soli, vel agricolarum industriæ adscribat; ideo addit Propheta: *Quia sic parasti eam*, quasi dicat; Deus est, qui sua gratia suaq; benigna providentia granum sub terra conservat, segetem evocat, aristas frumento replet, adeoq; omnia parat, & suo ordine pulcherrimè disponit.

XLIV. Sic in subsequentibus versibus illa beneficia Dei recensere continuat, quod *sulcos terra sive agri inebriet, descendere faciat liras ejus, nubibus liquefaciat eam, germine ejus benedicat: quod coronet annum suo bono, quod vestigia sua stillent pinguedine: quod sua gratia stillent pascua deserti, exultatione colles accinxerint se, induerint se prata pecudibus, & valles operuerint se frumento.* Et tandem concludit Propheta: *Vnde clamant ac canunt*, hoc est, homines æterno Patri pro tot, tamque variis beneficiis gratias animo læto agunt, agnoscentes, liberalia hæc esse ac gratuita Dei beneficia, sine ullo merito mortalibus concessa.

XLIV. Nihil enim aliud totus psalmus nos docere vult, quàm frugum proventus non nostris laboribus, neque causis secundis, sed benignitati divinæ unicè adscribendos esse. Non enim is, qui plantat, neque is, qui rigat, est aliquid: sed Deus, qui dat incrementum, 1. Cor. 3. v. 7. Et solus Deus dat suum corpus unicuique seminum, ut vult, 1. Cor. 15. v. 38.

XLVI. Unde sic argumentamur: i. Quod nullis causis secundis est adscribendū, sed soli benignitati divinæ; illud neq; merito nostro tribuetur: Atqui proventus agrorum, & sic bona temporalia nullis causis secundis, sed soli benignitati divinæ sunt adscribenda: Ergo neq; merito nostro tribuenda. Deinde ubi vel justissimi Apostoli plantatio rigatioque nihil est; sed omnia sunt Dei benignitati adscribenda; ibi justus nihil suis meretur operibus: Atqui in rebus temporalibus laborantis vel justissimi Apostoli plantatio & rigatio nihil est; sed omnia sunt Dei benignitati adscribenda: Ergo in rebus temporalibus etiam justus nihil suis meretur operibus.

XLVII. Idem colligitur ex illo Prov. 3. v. 33. *Habitaculo justorum benedicit Jehova.* Item Ps. 128. v. 1. *Beatus omnis, qui timet Jehovam, qui ambulat in viis ejus. Laborem manuum tuarum quia comedes: Beatus eris & bonum tibi erit: Vxor tua erit sicut vitis fructificans in lateribus domus tuæ, & filii tui, sicut palmites olearum in circuitu mensæ tuæ, Hæcine verò ex meritis nostris? Non sanè: sed ita pergit psaltes: Ecce certè sic BENE D I C E T V R vir, qui timet Jehovam.* Ergo omnia illa ex gratuita Jehovæ benedictione, & nullo modo ex meritis justorum.

XLVIII. Cæterum ratio Becani est mera petitio principii. Nam negamus nos finem, hoc est, vitam æternam justum mereri posse; Et non tantum negamus; sed probavimus quoq; negativam hanc nostram sententiam rationibus, quas Jesuitæ in æternum non refutabunt: cum sint ipsa Dei immutabilis veritas.

XLIX. *Questio decima & ultima est; An unus possit alteri mereri: Et negat Becanus.* Verum hoc negato, quomodo stabunt satisfactiones alienæ, tam privatæ, quam publicæ? de quibus aliàs multum glorientur Papani. Sic de his Johannes de Turcrematâ art. 2. concl. 1. *Vnus pro alio satisfacere potest: sive unus poenitenti satisfactoriam pro alio potest explere Deo acceptabiliter.* Soto: *Non tantum pro suis quisque culpis, sed pro alienis satisfacere potest, dum sint modò ambo amici Dei: & quidem satisfacere de condigno.* Gregorius de Valentia: *Ponit, inquit, satisfactionem aliorum Ecclesiæ membrorum aliis ejusdem*

*ejusdem Ecclesie membris prodesse posse: non tantum, quum unum membrum speciali, & propria intentione satisfactionem suam alteri membro vult applicare: sed etiam, quum ii, qui profunt in ipsa Ecclesie communitate, eam applicationem faciunt, tanquam distribuentes singulis bonum quoddam commune Ecclesie, in acceptione Dei, velut communem quendam thesaurum repositum. Et rursus paulo post: Non solum quum membra quedam membris aliis satisfactiones suas speciali intentione accommodant, sed etiam ex eorum implicita saltem intentione id ipsum faciunt ii, qui presunt. Unde statim: Quo fit, ut satisfactiones illae eo etiam modo per Ecclesie prelatos applicatae. Ubi vides disertè, alienas non tantum definitas, sed etiam verbo appellatas.*

L. Atque hinc confraternitatum origo atque usus frequens: quæ societates sunt hominum; eâ spe concurrentium in unam communitatem, ut aliorum opera alijs profint. Testis est *Gregorius de Valentia*, quod Yuo Cornotensis, Adeelidæ sive Adellæ Comitissæ concesserit participationem suffragiorum ordinis regularis B. Johannis Baptistæ, à se instituti. *Anselmus* eidem sui ordinis participationem: sic sui quidam Abbas Cisterciensis, Regi Galliarum &c.

L I. Si ergo seriò statuatur ac defendere velint Jesuitæ, eam vim & efficaciam meriti non esse, ut homo justus non solum sibi ipsi, sed etiam alteri possit de condigno mereri ullum, aliquod præmium apud Deum; nequaquam defendere poterunt satisfactiones suas alienas, quas sine merito ne imaginari quidem sibi possunt.

L II. Excipis, distinguere Pontificios inter opus meritorium & satisfactorium. Illud est, cui debetur præmium ex justitiâ distributivâ secundum substantiam. Satisfactorium est, cui debetur remissio pœnæ ex justitiâ commutativâ. Videatur *Bellarminus lib. 2. de Indulgentiis cap. 2.* Verùm dicimus cum *Luthero* in assertione art. 17. distinctionem hanc figmentum esse. Respondet quidem *Bellarminus* loco allegato, dicere id *Lutherum*, sed nullo argumento distinctionem refutare. Regerimus; nulla refutatione opus esse existimavit *Lutherus*: cum demon-

Q

strave-

straverit, meritum esse non Ens: cujus ut nulla essentia, qualitas & operatio, sic nulla distinctio. Nos autem ita probamus: Meritum est, *cujus liberum bonum ad alterum aliquâ ratione spectans, quod secundum modum aliquem æqualitatis sive justitiæ, aliquo munere ab altero compensari debeat*: Atqui tale opus est satisfactorium: Ergo est meritorium. Major est Gregorij de Valentia, meritum sic definiens. Minor probatur. Nam opus satisfactorium est 1. opus liberum & bonum, 2. spectat ad alium nempe Deum, cui satisfacit ac debitum solvit, 3. debet secundum modum justitiæ commutativæ à Deo compensari remissione pœnæ. Quæ omnes sunt hypotheses Jesuitarum. Videatur Bellarminus loco citato. Deinde quod opus propriè meretur, illud est meritorium: At opus satisfactorium Pontificij propriè meretur: Ergo est meritorium. Major certa est. Nam ex eo, quod meretur aliquod opus, dicitur meritorium. Minorem non negant Pontificij, meretur enim remissionem pœnæ. Hinc tandem ita concludimus: Qui potest alteri mereri remissionem pœnæ; ille potest alteri mereri: At Monachi possunt alteri mereri remissionem pœnæ: Ergo possunt alteri mereri: Quod est contra Becanum. Concedit quoque Bellarminus, *lib. 1. de indulgentiis, cap. 2. propos. 2.* Posse unumquemque per opera sua bona impetrare aliis divina aliqua beneficia, posse etiam communicare opera sua bona, quod attinet ad satisfactionem pro reatu pœnæ, vel ad gaudium.

LIII. Sub finem hujus quæstionis mentionem injicit Becanus *meriti de congruo*, sed illud (ut statim ab initio hujus disputationis monuimus) rejicit: *Alterum meritum, inquit, quod vocant de congruo, propriè non habet rationem meriti, sed tantum cujusdam congruentiæ, ac proinde non est necesse de eo disputare. Nihil enim certi de eo affirmare possumus. Sicut enim videri potest nobis congruum & conveniens, ut Deus hoc vel illud præstet, huic aut illi homini: Ita è contrario non desunt Deo rationes congruentes, cur id nolit præstare, quod alioqui app. cret congruum, ut præstet.*

LIV. Verùm hoc meritum de congruo, ita dictum, nequè meritum esse, neque ullam vel apparentem saltem in se habe-

habere congruentiam, demonstratu haud difficile est. Sic ergo argumentamur: Nullum meritum apud Deum est peccatum: Atqui omne opus adhuc injusti, sive hominis in puris naturalibus constituti, est peccatum: Ergo nullum opus adhuc injusti, sive in puris naturalibus constituti est meritum. Major confirmatur ex definitione meriti, quod dicitur *esse bonū opus*: At nullum peccatum apud Deum est bonum opus: Ergo necessariò infertur, quod nullum peccatum sit meritum. Minor patet, quia homo à seipso nihil boni potest facere: Atqui si homo in puris naturalibus faceret aliquod opus, quod non esset peccatum: tum à se ipso faceret aliquid boni. Quod absurdum probatur: Matth. 12 v. 34. *Progenies viperarum, quomodo possitis bona loqui, quum sitis mali: Nam ex abundantia cordis os loquitur: Bonus homo à bono thesauro cordis profert bona: Et malus homo ex malo thesauro profert mala.* Matth. 7. v. 20. *A fructibus eorum cognoscetis eos &c.* Similiter Luc. 6. v. 34. *Non est arbor bona, quæ ferat fructum putrem: Neq; arbor putris, quæ ferat fructum bonum, &c.*

L V. His ita constitutis ac demonstratis sic progredior: Quodcunque non est meritum; illud nec meritum congruum est: Atqui meritum, quod Papistis dicitur congruum, non est meritum: Ergo nec est meritum congruum.

L VI. Deinde nullius hominis ψυχικῶς, & nihil præter vires naturales habentis, opus à Deo probatur: At meritum congruum, sic Pontificiis dictum, est hominis ψυχικῶς, & nihil præter vires naturales habentis, opus: Ergo meritum congruum à Deo non probatur. Major est certa. Nam quicquid ex fide non est, peccatum est, *Rom. 14 v. ult.* Et nullum peccatum Deo placere potest. Minorem non negant Pontificij: Ergo conclusio est certa.

L VII. Unde rursus infertur: Quicquid à Deo non probatur, non potest esse meritum apud Deum: Meritum congruum à Deo non probatur: Ergo meritum congruum non est meritum apud Deum. Major est certa. Nam meritum necesse est ab eo probari, apud quem est meritum. Minor est certa vi præcedentis Syllogismi: Ergo rursus conclusio vera: Et per consequens,

quens, hominis *ψυχῆς* nulla esse possunt merita apud Deum.

L VIII. Tertiò: Quicumque nihil operari possunt propter Deum: sed potius omnia operantur contra Deum; illi apud Deum nihil mereri possunt: Atqui athei & inimici Dei nihil operari possunt propter Deum, sed potius omnia operantur contra Deum: Ergo athei & inimici Dei nihil apud Deum mereri possunt. Major est certa. Nam consentientibus ipsis Papistis, omne meritum est opus propter Deum. Minor est *αὐτόματος*. Ergo conclusio est verissima. Quare illâ loco majoris positâ, ita infero: Athei & inimici Dei nihil mereri possunt: Atqui homines ante gratiam sunt athei & inimici Dei: Ergo homines ante gratiam, nihil mereri possunt. Major est conclusio pro syllogismi. Minor facilè ex scripturâ probatur, Rom. 8. v. 10. *Cum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo.* Eph. 2. v. 12. *Vos illo tempore fuistis absq; Christo. spem non habentes, & absq; Deo in mundo.*

L IX. Unde rursus concludo: Qui ante gratiam nihil mereri possunt, illi etiam nihil de congruo merentur: Homines ante gratiam nihil mereri possunt: Ergo homines ante gratiam nihil possunt mereri de congruo. Major est certa. Nam negato genere, negantur omnes species: Si enim animal non est, neque homo, neq; brutum est. Minor est conclusio præcedentis syllogismi: Ergo hæc quoq; conclusio est inmotæ veritatis.

L X. Hinc ergo adversarium ita constringo: Homines ante gratiam nihil mereri possunt de congruo: Quod jam demonstratum: Homines ante gratiam possunt mereri de congruo gratiam fidei: Quæ est hypothesis Pontificiorum: Ergo quidam, qui possunt mereri de congruo gratiam fidei, nihil mereri possunt de congruo. Quæ est consequentia ex præmissis infallibilis: sed contradictio pessima, papæ sophistis digna.

L XI. Quartò: Mortui nihil merentur: Homines ante gratiam sunt mortui: Ergo homines ante gratiam nihil merentur. Major est certa. Nam mortui nihil operantur: Qui autem nihil operantur, nihil merentur: Cum meritum sit opus: Et mereri operari. Minor probatur Eph. 2. v. 5. *Nos cum per lapsus mortui essemus, unâ vivificavit in Christo.*

62. Quia-

LXII. Quinto: Si homini in puris naturalibus extra gratiam constituto meritum congrui est tribuendum; tum id vel ex omnibus operibus bonis, vel tantum ex aliquibus: At neutrum est concedendum: Nullum igitur est meritum congrui. Major est per se certa. Minor probatur. Nam si prius: tum ejusmodi hominis opera omnia essent necessario bona. Quod vel ipsi Papistæ negabunt. Nam Bellarminus *lib. 5. de gratiâ & libero arbitrio* asserit, non posse solis naturæ viribus omnia præcepta moralia adimpleri, ne quidem secundum substantiam operis. Imò Augustinus *lib. 2. Retractat. cap. 33. In hac vitâ*, inquit, *nemo ita servet mandata justitiæ, ut nõ sit ei necessarium pro suis peccatis orando dicere: Dimitte nobis debita nostra*. Si posterius: tum falsum erit pronunciatum Jacobi: *Qui peccat in uno, omnium fieri reum*: Et Papistæ sibi contradicent, statuentes, quolibet peccato mortali gratiam amitti. Si enim aliis debeatur, uno isto opere amitti non posset.

LXIII. Ultimò negari non potest, quod orthodoxi Patres contra Pelagianos constantissimè disputârunt ac defenderunt, *nullum esse meritum, quo gratia preveniatur*. Augustinus in *Psalm. 31. Noli præsumere de operibus antè fidem. Noveris, quia peccatorem te fides invenit; Et si te fides data fecit justum, impium invenit, quem faceret justum. Credenti, inquit, in eum, qui justificat impium, deputatur fides ei ad justitiam. Si justificatur impius, ex impio fit justus: si ex impio fit justus, quæ sunt opera impiorum?* Et in præfatione ejusdem Psalmi: *Nihil boni fecisti, & datur tibi remissio peccatorum, attenduntur opera tua, & inveniuntur omnia mala*. Idem *Epist. 46. Tom. 2. mihi pag. 161. G. Nec quisquam dicat, meritis operum suorum, vel meritis orationum suarum, vel meritis fidei suæ, sibi traditam Dei gratiam, & putetur verum esse, quod illi hæretici dicunt, gratiam Dei secundum merita nostra dari, quòd omninò falsissimum est; non quia nullum est meritum, vel bonum piorum, vel malum impiorum, alioquin quomodo Deus judicabit mundum? sed misericordia & gratia Dei convertit hominem, de quo *Psalmus 78. dicit, Deus meus misericordiâ ejus prevenit me: ut justificetur impius, hoc est, ex impio fiat justus, ut incipiat habere meritum bonum, quod Deus coronabit, quãdo**

judicabitur mundus. Et Epist. 105. pag. 461. C.D. Ipsi gloria in secula  
seculorum, Amen. Nolunt autem, ut sit ipsi gloria in justificandis im-  
piis gratuita gratiâ, qui ejus ignorantes justitiam, suam volunt consti-  
tuere: Vel jam conelamantium religiosorum & piorum vocibus pressi,  
ita se fatentur ad habendam seu faciendam justitiam divinitus adju-  
vari, ut sui precedat aliquid meriti, quasi priores volentes dare, ut re-  
tribuatur eis ab illo, de quo dictum est: Rom. 11. Quis prior dedit illi, &  
retribuatur ei: Et suo putantes præire merito illum, de quo audiunt, aut  
potius audire nolunt. Quoniam ex ipso & per ipsum & in ipso sunt o-  
mnia. Et mox pag. 462. A. Quæ igitur sua merita jactaturus est li-  
beratus, cui si digna suis meritis redderentur, non esset, nisi damnatus.  
Et rursus post pauca C. Et ideo percipiendæ hujus gratiæ merita  
nulla præcedunt: Quoniam meritis impij, non gratia, sed pœna debe-  
tur. Nec ista esset gratia, si non daretur gratuita, sed debita red-  
deretur.

LXIV. His & similibus argumentis haud dubiè mo-  
tus Becanus, meritum congruum in hac disputatione planè re-  
jecit, eoque plerisque aliis Jesuitis contradixit. Nam Bellar-  
minus hanc distinctionem inter meritum congrui, & condigni  
ubique retinet. Sic lib. 2. de Pœnitentiâ cap. 12. inquit: *S. Tho-  
mas in 1. 2. quest. 114. artic. 5. dicit hanc propositionem: Fides mere-  
tur justificationem; esse retractatam, si fides accipiatur pro fide, solis  
viribus liberi arbitrij acquisita: in quo sensu neque Augustinus acci-  
pit fidem, neque nos accipimus, cum dicimus, fidem mereri de CON-  
GRUO justificationem.* Et mox: *Respondeo, non solum gratis nos ju-  
stificari, licet pœnitentia justificationis gratiam mereatur, quia  
pœnitentia donum Dei est: sed etiam, quia meritum istud, quod Patres  
agnoscunt ante remissionem peccatorum non est MERITUM EX  
CONDIGNO, sed EX CONGRUO, neque illi merces ex justitiâ,  
sed ex benignitate respondet, ac breviter, non est meritum simpliciter,  
sed aliquo modo. Meritum enim ex condigno & simpliciter, non præ-  
cedit justificandum, sed sequitur justificatum.* Et mox: *De hoc meri-  
to ex condigno, sive ex justitiâ loquens Concilium Trid. sess. 6. cap. 8.  
dicit,*



dicit, justificari hominem gratis, quia neque fides, neque opera, quae justificationem praecedunt, ipsam merentur: Meritum enim ex justitiâ, opponitur gratiâ, non autem meritum ex congruo, quod non in justitiâ, sed in liberalitate fundatur &c. Et hoc modo de merito, nimirum ex condigno, nos in primo libro, dum mendacia haereticorum refutaremus, saepe diximus, contritionem non esse meritum sed dispositionem justificationis. Denique omnia loca Patrum à nobis adducta, ubi contritio sive poenitentia, dicitur meritum, pretium, satisfactio pro peccato; de merito; pretio & satisfactione ex congruo accipienda sunt, ut etiam loca scripturae, peccata tua elemosynis redime, Dan. 4. & similia.

LXV. Idem Bellarminus lib. I. de justific. cap. 21. Si meritum de congruo fundaretur in promissione cum conditione operis, esset verè meritum ex justitiâ, & potius de condigno, licet imperfectè, quàm de congruo nominandum. Et ideò nos existimamus, potius fundari meritum de congruo in aliquâ dignitate operis, quàm in promissione &c. Et paulò post: Porro negamus, nullam esse in merito de congruo dignitatem. Nam cum sit opus illud à Deo, & sit opus gratiâ & donum spiritus sancti, quo pacto fieri potest, ut nullam habeat dignitatem. Neque tamen hinc jam licebit colligere, hoc esse meritum de condigno. Nam etsi est à Deo, tamen non est à Deo intus habitante per gratiam justificantem, sed extrinsecus excitante & adjuvante, & praeterea est à Deo incipiente & inchoante, nondum complente & perficiente, proinde est meritum inchoatum & imperfectum; & habet aliquam dignitatem & proportionem ad suum finem, sed non tantam, quantam requirit meritum de condigno &c. Et in judicio de libro concordia, & quidem in mendacio 8. Meritum solum impetrationis, ut Augustinus loquitur, quod Scholastici meritum de congruo, non de condigno nominare solent.

LXVI. Ex quibus satis liquet, quod Bellarminus meritum de congruo neque rejiciat, neque rejicere possit. 1. Quia dicit, esse meritum aliquo modo. Ergo est meritum. 2. Quia neque scripturae dicta neque Patrum sententiae in Pontificiorum opinionem torquere, neque Tridentinum Concilium explicare potest, ut facta tecta maneat Pontificiorum opinio de justificatione.

ificatione, nisi meriti hanc divisionem in illud, quod est de congruo, & quod est de condigno retineat. 3. Quia explicat, quomodo in se habeat aliquam dignitatem, nempe ex gratia Dei assistente: Si autem hoc: quomodo ergo meritum de congruo tribuetur homini in puris naturalibus constituto, & quomodo ab ejusmodi homine proficiscetur? Quæ Bellarminus addit de Deo non intrinsecus habitante, sed forinsecus excitante, probant quidem ipsius sententiam de merito congrui, sed sine ullo scripturæ fundamento asseruntur: Quando enim ita inchoat Deus justificationem nostram, non facit illud per externam & forinsecam actionem; sed planè internam & intrinsecam; nempe in ipsâ hominis mente & corde. Hactenus sententia Bellarmini.

LXVII. Bunderus quoque & Vasques disput. 218. in 1. 2. variis conquisitis sophismatis meritum de congruo defendere conantur. Primum allegant illud Lucæ 19. v. 26. *Omni habenti dabitur, & abundabit.* In quæ verba ita Theophilactus: *Qui negotiatione multa lucratus fuerit, illi dabitur & amplius. Ergo congruum omninò est, ut benè utenti bono natura propter Deum, Deus, qui maximè munificus est, bona gratia largiatur.* Secundum sumitur ab exemplis: Exod. 1. *Obstetrices populi Israelitici non interimentes masculos, meruerunt sibi edificare domos.* 2. Reg. 10. *Jehu vindicans peccatum Achab, ejus domum perimendo meruit sibi regnû in quartam generationem.* Et Nabuchodonosor meruit sibi terram Ægypti, quod servivit Domino contra Tyrum, Ezech. 29. v. 20. Tertium desumitur ex Zachariæ cap. 1. v. 3. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Item ex Ezechiel. 8. v. 21. *Quacunque hora converterit se impius ab impietate suâ, & fecerit justitiam; ipse animam suam vivificabit.* Nam quando homo facit, quod in se est, Deus superaddit, quod suum est ex munificentissimâ suâ liberalitate & bonitate. Quartum sumit Vasques ex 13. cap. v. 16. ad Hebræos: *Beneficentia & communicationis nolite oblivisci. Talibus enim hostiis promeretur Deus. Quod, quamvis alij exponant de condigno: tamen glossa interliniaris, de eleemosynis, quibus hostes superantur & peccata extinguuntur; Quo sensu idem est promereri Deum nostris operibus, & promere-*

mereri propitiationem. Confirmatur Græcâ voce ἐναρσέντας, placatur, conciliatur. Tandem addunt auctoritatem Augustini lib. i de baptismo contra Donatistas cap. 8. Cornelius Angelum ad se mitti, & missum meruit intueri, per quem posset utique sine hominis alicujus accessu cuncta necessario discere: sed quoniam quicquid boni in orationibus & elemosynis habebat, prodesse illi non poterat, nisi per vinculum Christianæ societatis, jubetur mittere ad Petrum, & per illum discit Christum, per illum etiam baptisatur: Christiano populo consortio communionis jungitur.

LXVIII. Respondemus ad singula ordine. In primo sunt scopæ dissolutæ. Nam nihil aliud antecedens in se continet, quàm benè utenti bono naturæ deberi munificentiam: Ex eo verò nequaquam conficietur aliquod meritum de congruo: sed oportet prius demonstretur, esse aliquem, qui ita benè utatur bono naturæ: quod, inquam, allegato loco, & additâ Theophrasti expositione, nequaquam probatur. Cum igitur nos simpliciter negemus, fuisse unquam homines benè utentes bono naturæ propter Deum: Ergo nequaquam etiam vi illius antecedentis concedamus, aliquod esse meritum de congruo, sed potius ad omnes homines extra gratiam, constitutos pertinere illud, Matth. 25. v. 29. *Qui verò non habet, tolletur ab eo.* Deinde etiam si concederetur, esse homines, qui benè uterentur bono naturæ propter Deum, proindeq; congruum esse, ut in illos Deus esset beneficus: Non tamen statim inde concludendum esset aliquod meritum. Nam non ilicò, quod congruum est, supponit meritum: ut id in præsentis negotio est manifestum; quandoquidem necesse est, ut meritum sit ab opere: Hic verò congruitas sumitur à beneficiâ Dei. Et Gen. 40. v. 5. *Somnij habetur congrua interpretatio.* Et Exod. 15. v. 23. *Congruum loco nomen.* Sed non ex opere aliquo meritorio. Taceo, quod nondum probatum sit, Christi verba de homine in puris naturalibus constituto loqui: cum vel ipsimet Pontificij contrarium statuunt.

LXIX. In secundo argumento exempla allata nihil probant. Quandoquidem hic quæstio est de merito, cujus merces est prima gratia, quodque Papistis est meritum de congruo: verum quæ merces reddita est operibus exemplorum adducto-

D

rum.

rum non pertinent ad primam gratiam : Ergo nihil ad rem. Quid? Quod in nullo ullum meritum demonstrari possit : uti etiam in nullo meritum appellatur; sed duntaxat in Nebuchodonosoris exemplo mercedis fit mentio: Quæ verò non semper meritum supponit. Diximus enim & demonstravimus, quod merces aliàs propriè, aliàs impropiè, & per similitudinem dicatur: Et tantùm illi, non huic meritum supponatur. In cæteris ejusmodi adhibentur loquendi formulæ, quæ meritum necessariò non vel significant, vel saltem arguunt; sed duntaxat quodcunque genus cohærentiæ sive consequentiæ: videantur & rectè perpendantur dicta ipsa.

LXX. In tertio argumento concluditur id, quod in antecedente, hoc est, allegatis scripturæ dictis non continetur. Nam monemur quidem illis, ut nos convertamus; sed modus non additur, quo illa conversio à nobis fieri debeat. Quod ergo hic Sophista sine scripturâ ex suo cerebro fingat, illam à nobis fieri posse ex puris naturalibus, merè Pelagianum est, & à Catholicâ sive orthodoxâ fide alienissimum. Videatur *Augustinus de gratiâ & libero arbitrio*.

LXXI. In quarto argumento non multum curamus glossam sive interlinearem, sive marginalem, sive qualemcunque, & quidem solam, cum versemur in negotio fidei. Tantùm videamus Apostolum, & scrutemur, an loquatur de operibus, quæ fiunt ante gratiam: Quibus solis ut alij, sic Valques ipse tribuit meritum de congruo. Sanè contextus evidentissimè convincit, de illis non loqui Apostolum, sed de beneficiâ & cõmuniõne post gratiam acceptam. Non enim ibi Ethnicos ac infideles, sed fideles alloquitur, utpotè ad quos totam scripsit Epistolam.

LXXII. Quod attinet Græcum *ἐυαρεσέται ὁ θεός*, primùm barbarè, deinde falso, & tandem absurdè redditur in vulgata versione, *promeretur Deus*. Barbarè, cum verbum *promereri* sic passivè usurpatum vix inveniatur. Falso; Nam, *ἐυαρεσέω*, non *promereor*, sed *placeo*, & *ἐυαρεσέομαι*, sive *εὐχαί*, *delector* significat. Ut in eadem Epistola ad Hebr. cap. ii. v. γ. *μεμαρτύρηται*

ενταυ ευηρησμεναι τω θεω quod ipsa vulgata interpretatur: Te-  
stimonium habuit, placuisse Deo. Et ibidem v. 6. χωρις τε πιστεως α-  
δυνατον ευαρησαι: quod etiam vulgata reddit: Sine fide autem im-  
possibile est placere Deo. Epistola igitur ad Hebraeos verbo ευαρη-  
σεια docere vult, tales hostias placere Deo, eique gratas & ac-  
ceptas esse: cum omnino pertineat ad explicandam Dei volun-  
tatem: proindeque merito, quod hominis est, respondere ne-  
queat. Quis autem nescit, placere etiam ea posse, in quibus nul-  
lum est meritum? Ad Tit. 2. v. 9. Paulus servos hortari vult, ut  
Dominis εν πασι ευαρησεν ειναι: cum interim certum sit, nihil  
illos posse mereri; ut omnino necesse sit placere, non cum me-  
rentur, sed cum ea faciunt, quae facere jam debent. Unde etiam  
Oecumenius explicat αρεσμεται, delectatur. Constat ergo, non si-  
gnificare merita: & si non merita, neque merita congrua: sub-  
lato enim genere, tollitur species.

LXXIII. Porro, absurda est vulgata versio. Pugnat e-  
nim cum scopo Apostoli, evertitque, quicquid in superioribus  
capitibus de unici nostri Pontificis unica oblatione semel fa-  
cta, & nunquam repetenda commemoratum est. Ad vitandam  
igitur ejusmodi absurdissimam contradictionem statuendum,  
Deum istis sanctorum sacrificiis, nempe gratiarum actione ac  
beneficentia delectari, utpotè, qui veros ac germanos fructus  
sui Christi, in nobis per fidem habitantis, agnoscat.

LXXIV. Tandem nihil quoque contra nos Augustini  
autoritas. Nam licet non negemus merendi verbum primam suam  
ac propinquam origine aptum esse significationi Papisticae, quae  
aliquod praesupponat antecedens, cujus ratione debeat aliquid  
boni, non sine justitiae laesione denegandum: atque sic me-  
ritum sit id, quod opponitur gratuito: quo significato & sensu  
nos contra Pontificios negamus, ulla hominum esse merita.  
Verum hanc solitariam esse hujus verbi significationem nega-  
mus, cum alia illi accessit notio, eaque frequentissima apud  
Scriptores Ecclesiasticos, utpotè adipiscendi, obtinendi, conse-  
quendi, etiam tum condignitas nulla, nullumque praecedens  
meritum supponitur. Sic apud Gratianum de consecratione distinct. 2.

*Canone, quia corpus: illud, Dei filius fieri occultâ puritate meruisti, Glossa exponit, obtinuisti. Nec aliter potuit. Nam agitur ibi de Baptismi regeneratione, quam nullis unquam meritis quisquam adscripsit, ne ipsi quidem Pontificij. Ambrosius de dignitate sacerdotali cap. 5. Grattiam, cum ordinariis, non suscepisti, quia gratuito eam non meruisti, id est, obtinuisti. Idem de fide Resurrectionis: Denique etiam ipsa post usum vota fastidio sunt, & quæ mereri (id est, cõsequi, ad pisci) opravimus, postquam meruimus (id est, obtinuimus) abdicamus. Et in ipsis Papistarum ritualibus etiamnum contineri audimus: Felix culpa, quæ tantum meruit, (id est, consecuta est) habere redemptorem &c.*

**LXXV.** Eodem modo locutus est Augustinus quàm sæpissimè. In Psal. 105. *Vnam stillam dives ille non meruit. Vbi certè dives ille nulla sua aut obtendebat, aut obtendere poterat merita: sed supplex rogabat ac postulabat, id est, obtinere gestiebat & contendebat: Quare sensus Augustino, non obtinuit. Sic idem Augustinus de prædestinatione & Gratiâ cap. 16. Dum cervix in illo populo, qui ex omni mundo electus est, qui de servitute decem miraculis meruit liberari. Et Possidonius in Augustini vitâ cap. 11. Per libros editos, atque in Græcum sermonem translatos, ab illo uno homine, & per illum multis fovente Deo, multa innotescere meruerunt. Quid? quod hunc usum agnovit ipse Stapletonius in Promptuario, Feria. 5. post Dominicam Passionis, sic scribens: Nemo vel veterum interpretum vel recentium verbo promerendi usus est, (scilicet in historiâ mulieris peccatricis Luc. 7.) aut si aliquis eo usus est, aliter non intellexit, quàm consecutionem de facto. Imò neque usus hic apud exoticos inauditus est, ut, si opus esset, facilè probari possit.*

**LXXVI.** His ita explicatis ac demonstratis, facilè magnus locorum, ex Patribus à Pontificiis adductorum, numerus rectè exponi ac declarari possunt; & sic hic ipse Augustini ex lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 8. allegatus: nempè quod illud, *mereri*, ille usurper pro assequi & obtinere, uti ipsi hoc est frequentissimum. Si autem omninò de merito aliquo loqueretur, non tamen illud congruum esse posset. Quandoquidem Cornelius non fuit in purè naturalibus, sed in fide.

Testa-

Testatur enim *Lucas, Act. 10. v. 2.* quod fuerit religiosus ac timens Deum, nempe fuit studiosus religionis Judaicæ, crediditque in Messiam venturum, sed venisse nescivit. Deinde oravit assidue, ut ipsi Deus sui ampliolem notitiam largiretur, utque nomen ipsius verè sanctificaret & voluntatem faceret: Impetravit tandem, quod tam diu suppliciter ac precario quæsiuit: Eleemosynæ quoque ejus, afflictissimæ judæorum genti factæ, fuerunt acceptæ Deo: Has autem ut & preces sola fides in Messiam, quem nondum didicerat exhibitum, gratas reddidit, *Hebr. 11. v. 6. 1. Cor. 2. v. 14.* Quod post *Gregorium Magnum, lib. 1. in Ezechielem, homil. 9.* Beda his verbis confirmavit. *Cornelius, cujus eleemosynæ ante Baptismum, Angelo teste, laudatæ sunt, non operibus ad fidem, sed fide venit ad opera.* Et post pauca: *Sciebat creatorem omnium Deum, sed ignorabat adhuc Filium esse incarnatum.* Augustinus quoque lib. 1. de prædestinatione Sanctorum cap. 7. *Cornelius non sine fide aliquid orabat, non sine fide aliquid donabat.* Et Synodus Milevitana: *Manifestissimè credendum est, quod Cornelii Centurionis, ad quem Angelus missus est, illa tam admirabilis fides non fuerit de naturâ, sed divine gratie largitate donata. &c.*

### Adhuc Articulus Augustanæ Confessionis Sextus.



Ad præstantissimum & doctiss. Dn. Respon-  
dentem amicum suum dis  
lectum.

MAGISTER JOHANNES VLE.]

per Anagramma:

HEM SOLVE SIGNA IN ARTE.

**A**rtibus & Linguis nihil est præstantius illi,  
Qui cupit ad culmen scandere Theologiæ.  
Ars mihi quid prodest, quid confert Lingua sine  
Ufu,

Qui solus claros efficit artifices?

Ufu judicium firmabitur. Ergò juvabit

Cum doctis doctè disseruisse viris.

Artibus & Linguis operam das, atq; per usum

Judicium firmas, fautor amice, tuum.

PRÆSIDE sub claro tua dissertatio, id ipsum,

Contra Papatus dogmata scripta, probat.

*Hem solvis* manifesta, tuâ non segnis *in arte,*

*Signa*, quid in Sophicis, Theologicisque scias.

Gratulor ergò tibi, de nisu grator honesto.

Pergito. Papales *solve* resolve strophas.

Theologiæ tandem sic celsa ad culmina scandes,

Ufus & artificem te faciet celebrem.

Táχιστα deproperabat

M. Johannes Poltzius Thermis-  
Carolinia-Bohemus, Fac.  
Phil. Adj. & al. Elect.





Præstantissimo & Literatissimo D N. M.  
JOHANNI ULEN Annæbergensi SS. Theol. Stu-  
diofo solertissimo, amico meo uni è multis de Me-  
rito Congruï & condigni publicè contra  
Pontificios differenti.

**C**ongruit ergo Tibi pellex Romana mereri  
Pro Sanctis meritis præmia digna tuis?  
Dum Tibi Lex Domini sordet ceu Lesbia norma,  
Quæ suprema tamen vox fuit usque Deo  
Dum Sanctis sceptrum, solium, cœlumq; dedisti,  
Gloria debetur quæ tibi Sola Deus.  
Scilicet expellis Christi de nomine dictos,  
Christi Ecclesiole suave bonumq; caput!  
Inde gregis Domini procurans commoda Papa  
Subtraxit laicis pocula Christe tua.  
Ipse insons cœlo longè majora meretur  
Quæso cave dicas quæ tua facta Papa!  
Congruit ergo Tibi sulphur, pix, fulmen, Avernus,  
Ausu pro tanto digna brabea feres.  
Congruit ergo Tibi dulcissime JANE corolla  
Pro tantis ceptis quæ male te Papa habent.  
Perge parata Tibi (fiat!) sic certa corona,  
Si non nostra, tamen secla futura dabunt.

animitus acclamabam,

M. Paulus Ilchnerus  
Misnensis.

F I N I S.

Blatt 100 verso

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



99 A 6900

ULB Halle 3  
002 622 092




SB

Repro

VD 77







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black



44

TERTII  
Confessionem

o XI.

IS

ICVLI VI.

ntificiorum

n operum, ut

raet. 4. cap. 5. pro-  
utatur,

z

ia VVittebergensi

I D E

TINI S.S. Th.

mario, Facult. Theol.

Arcis Præposito,

ENTE

Annæbergensi Misnico.

legii Veteris

Maij.

ERGÆ,

UERBACH, Acad. Typogr.

CXXX.

